



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCCLI. ad annum CCCCLXXV.

**Parisiis, 1644**

XXXVII. Si quis ecclesiam ædificat, & ad dedicandum locum ipsum ipsum alienæ  
episcopum ciutatis inuitat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14887**

grati titulo reuocandum, non aliter liceat, nisi eum  
gestis apud acta municipum reum esse ante proba-  
uerit.

## XXXV.

Si quis alibi consistentem clericum ordinan-  
dum putauerit, prius definiat ut cum ipso habitet.  
sic quoque non sine consultatione eius episcopi,  
cum quo ante habitauit, eum, qui forte non sine  
causa diu ab illo non ordinatus est, ordinare præ-  
sumat.

## XXXVI.

Si quis episcopus in alienæ ciuitatis territorio  
ecclesiam ædificare disponit, vel pro agri sui, aut  
ecclesiastici vtilitate, vel quacumque sua opportu-  
nitate, permissa licentia, quia prohiberi hoc vo-  
tum nefas est, non præsumat dedicationem, quæ  
illi omnimodis reseruanda est, in cuius territorio  
ecclesia assurgit: reseruata ædificatori episcopo hac  
gratia, vt quos desiderat clericos in re sua videre,  
ipso ordinet is cuius territorium est: vel si iam or-  
dinati sunt, ipso habere acquiescat. & omnis ec-  
clesiæ ipsius gubernatio ad eum, in cuius ciuitatis  
territorio ecclesia surrexit, pertinebit. Et si quid  
ipsi ecclesiæ fuerit ab episcopo conditore conla-  
tum, is in cuius territorio est, auferendi exinde ali-  
quid non habeat potestatem. Hoc solum ædifica-  
tori episcopo credidimus reseruandum.

## XXXVII.

Quod si etiam quicunque ecclesiam ædificaue-  
rit, & alium magis, quam eum in cuius territorio  
ædificat, inuitandum putauerit, tam ipse qui con-

ANNO CHRISTI 452. tra constitutionem, vel distictionem, gratificari vult, quam omnes episcopi, qui ad huiusmodi dedicationem inuitantur, conuentu abstinebuntur. si ordinem excesserit, in reatu reuocabitur.

XXXVIII.

Subito obmutescens baptizari potest: & amētibus quæcumque pietatis sunt conferenda.

XXXIX.

Energumeni baptizati, si de purgatione sua curant, & se sollicitudini ecclesiasticæ tradunt, monitisque obtemperant, omnimodis communient, sacramenti ipsius virtute ab incursu dæmonii, quo infestantur, purgandi, quorum iam ostenditur vita purgator.

XL.

Energumenis catechumenis, in quantum vel necessitas, vel opportunitas permiserit, de baptisme consulendum.

XLI.

Si qui palam aliquando arrepti sunt, non solum non assumendi sunt ad ullum ordinem clericatus; sed etsi iam aliqui ordinati, ab imposito officio repellendi.

XLII.

In prouinciis nostris placuit de præsumptoriis, vt sicubi duo episcopi ausi fuerint episcopum facere, etiam si metropolitani episcopi epistolam non habuerint, & is qui ordinatus est, cum ordinatoribus excludatur.

XLIII.

Placuit præterea, vt secundum Synodi institu-

Iii ij